UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

76. Plurium locorum obsidione[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-68495

Visual Library

1665. Principis mens erat aut *Doesburgum*, aut
76. *Zutphaniam* obſidere, ut ita loco potiretur ad
Iſalam, è quo non *Velaviam* tantùm tributi
obnoxiam faceret, ſed ingruente poſtmodùm
hyeme, beneficio glaciei, ad citeriora etiam
Bataviæ loca progredi daretur. Convoca-
to itaque militari Senatu, propoſitum hoc
cum belli Ducibus ac militiæ Tribunis con-
fert: Et quanquam Campi-Mareſchallo idem
qui Principi animus erat, ab iis tamen *Plom-
nius* & alij diſſentiebant. *Tyronem* quippe
*militem eſſe, nec hactenùs ſatis exercitatum. E
locis remotioribus longâ viarum ambage, pri-
mùm in VVeſtphaliam, indè in hoſticum nunc
traductum, continuiſq; itineribus fatigatum.
Haud conſultò talem adhiberi obſidionibus, quæ
difficiles, ut hæ, futuræ ſint. Et eo præſertim
tempore, quo in hyemem inclinet annus, & tunc
terræq; ob ingentem pluviam & obvium ubique
iſtis præſertim locis madorem, incommodi plena
ſentiantur. Præſtare nunc, ut miles in hyber-
na ducatur, expeditioni vernæ futurus aptior.
Accedere, quod* Gorgaſſij *tergũ ex condicto tegi
ſit opus, ut* Bourtangam *ſecurè tentet. Id etiam
longè conducibilius hodie velex eo videri; quod
cum ad* Iſalam *nihil ultrà expediri nunc utili-
ter poſſit, ita ſi* Bourtanga *ſubigatur, amplior
futura ſit in Friſia & agro Groningenſi tribu-
torum meſſis. Hoc ipſum jam cumprimis inten-
di oportere, ut exercitus vel ità ex hoſtico paſſi-*

Plurium locorum obſidionẽ

Diſſuadet Senatus militaris.

ſimum

ſimum alatur. In cujus pariter ſententiam 1665.
cum potior Tribunorum pars condeſcenderet, plurium ſenſui *Chriſtophorus Bernardus* acquievit; ac deſperato tunc ad *Iſalam* tranſitu, firmatis per *Zutphaniæ* Comitatum ſubactis arcibus, oppidisque, exercitum *Lochemio* Borculoam reduxit, ut *Tranſiſalaniam* denuò penetraret. Ubi poſtquam duas iterùm noctes in arce conquievit, militem juſſit ad *Ommenam*, Tranſiſalaniæ municipium, caſtra metari, ſi forſan iſtius nominis fortalitium capi, aut vadari iſthic paludes, ſtratâque viâ in *Drenthiam* ac *Groningæ* tractum perrumpi poſſet.

Quo manè Borculoâ *Ommenam* recedebamus, aſportat Batavus Tubicen ad litteras *Chriſtophori Bernardi* ab Ordinibus Generalibus reſponſum, vigeſimâ nonâ Septembris Hagæ-Comitis exaratum, hujus argumenti. *Epiſtolam Celſitudinis ſuæ varia complexam; Eorum aliqua non proximis hiſce annis, ſed ante quadraginta, imò & ſupra hominum memoriam accidiſſe. Nolle in præſentiarum contenta ejus refutare, ſed libare duntaxat, ut teſtari poſſint, nunquam Celſitudini ſuæ aut Ejusdem terris vel belli, vel hoſtilitatis dediſſe ſpecimen, neque damnum unquam, vel injuriam intendiſſe.* Tum quæ Dylerianæ arcis expugnationem concernebant, repetunt, quæ datis eo tempore ad Principem, ad

77. *Exercitus ducitur in Ommen.*

Batavorũ reſponſio ad cauſas belli.

Cæſa-